



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis Universa**

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, insertis suo loco  
Propositionibus à S. Sede Apostolica novissimè damnatis concinnata. Et  
Per Casus Practicos exposita

Complectens LXXV. Casus Materiam de Conscientia, Legibus, Peccatis,  
Fide, Spe, Charitate, Jure, Justitia, Restitutione, Contractibus, Judiciis &  
Religione &c.

**Jansen, Leonhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Casus XXV. De dominio seu potiùs paupertate Religiosorum in particulari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39867**



## CASUS XXV.

De dominio seu potiùs paupertate  
Religiosorum in particulari.

**E**Borius aspirans ad Religionem ex Confessario petit. 1. *Ad quid ex voto paupertatis obligentur Religiosi, Praelati, &c.* 2. *An sint Domini fame, honoris, rerum spiritualium.* 3. *An Superiores dare possint licentiam ad superflua & illicita.* 4. *Qualis Licentia requiratur.* 5. *An sufficiat praesumpta.* 6. *Quae hic sit materia gravis.* 7. *An complacens sibi in divitiis peccet contra paupertatem.* 8. *An sufficiat Licentia dolo vel metu obtenta.* 9. *Vel data à Superiore inferiore contra prohibitionem Superioris.* 10. *Quid de manufactis vel scriptis.* 11. *Quid si res occultetur.* 12. *Vel recipiantur plures res modicae.* 13. *Vel convertantur ad alium usum, vel concedantur alteri.* 14. *Vel acceptetur res cum animo eam dandi pauperibus, vel lectà Missà amico remittatur stipendium.* 15. *Vel deponatur apud tertium, aut sine Licentia quis prandeat alibi.* 16. *An Religioso concedi possit peculium?* Pro resolut.

- I.** QUÆR. I. Ad quid Religiosi obligentur ex voto paupertatis? **R.** Omnes & singuli Religiosi solenniter professi per votum paupertatis à se in perpetuum abdicârunt, non tantum omne rei temporalis dominium, sed & usum ac dispositionem independentem à voluntate Superioris, ita ut nec validè, nec licitè de re temporali sine consensu Superioris disponere possint, ita quoad rem omnes, & clarum est tum ex *Trid. Sess.*



25. c. 2. de regul. tum ex jure Can. C. 12. q. 1. C. super c. cum ad Monast. de statu Monach. ubi adjungitur pœna : *Quòd si proprietates apud quemquam inventa fuerit in morte , ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur.*

*Dicitur 1.* Omnes & singuli , ita ut etiam ipsi Prælati, Procuratores, Oeconomi, Administratores, &c. si rem quamcunque sive domestico sive extraneo largiantur aut expendant aliter , quàm Ordinis Statuta , consuetudo aut voluntas Superiorum postulat , peccent contra justitiam & paupertatem ; & si ejusmodi donatio vel alienatio sit vana , superflua aut damnosa , est ipso jure irrita & restitutioni obnoxia , quia Prælati non sunt bonorum communium Domini , sed administratores. c. 2. de donat.

*Dicitur 2dò :* Solenniter professi , nam aliqui Religiosi S. J. qui tantùm simplex paupertatis votum emittunt , retinent dominium radicale , ita ut propter tale votum non possint quidem sine licentia Superiorum de suis disponere licitè ; probabiliùs tamen possint validè , ut contra *Molin.* docet *Sanch. L. 7. moral. c. 18. q. 2.*

*Dicitur 3.* Omnis rei temporalis, hoc est, pretio vel pecuniâ æstimabilis ; nam Religiosi retinent dominium & jus in famam & honorem. S. Th. 2. 2. q. 186. a. 7. ad 4. item jura spiritualia eligendi , præsentandi , conferendi , beneficia possidendi , à censuris absolvendi , &c. & ad talia jura acquirenda , retinenda vel recuperanda nomine suo agere non prohibentur. *Navarr. Less. L. 2. c. 4. dub. 5.* intellige ex voto paupertatis ; nam in his contra votum obedientiæ graviter peccari posset.



3. *Dicitur.* 4. Omnem usum & dispositionem à voluntate seu consensu Superiorum independentem, nam cum consensu Superiorum non prohibentur Religiosi de temporalibus disponere, modò dispositio non sit ad usus superfluos aut statum paupertatis dedecentes, aut à regula & consuetudine Ordinis non permisos, sicut enim de his ipse Superior licitè disponere non potest, sic nec suis disponendi licentiam concedere. *Mirand. Pelliz. Hyacinth. Donatus to. 4. tr. 13. q. 10. Reiffenst. l. 3. decret. tit. 35.* ubi dicit in hoc omnes convenire, & quamvis probabile sit, quod docet *Lugo d. 3. n. 137.* licentiam datam ad usus superfluos & illicitos esse validam, & ideo Religiosum non peccare contra paupertatem, modò non excedat statum pauperis, attamen id tantum tunc verum iudico, quando ipsa Religio, quæ rerum communium domina est, ob bonum commune & conservationem famæ Superioris vel subditi censetur consentire, & ex hoc capite valet emptio, quâ Religiosus cum licentia Superioris emit vel acceptat superflua; magna enim in publico oriretur confusio, si ejusmodi pretium vel res cum consensu Superioris Monasterio jam acquisita deberet restitui.

QUÆR. II. Qualiter Religiosus peccet contra votum paupertatis?

4. R. Toties peccat contra hoc votum, quoties rem aliquam pretio æstimabilem, sive ex bonis Monasterii, sive aliunde acceptam absumat, retinet, occultat, permutat sine expresso, tacito vel prudenter presumpso Superioris consensu. Ecce regulam generalem ab omnibus approbatam, quam infra ad casus particulares applicabimus.

Con-



Consensus *expressus* vocatur, qui verbis, scripto vel alio signo manifestè exprimitur, *tacitus* est tolerantia Superioris, cum scilicet videt aliqua à suis accipi, expendi, absumi, & cum possit, non contradicit, aut religiosum sine viatico mittit ad studia, balnea, &c. Hoc ipso tacitè vel implicite dat licentiam accipiendi & expendendi ad hoc necessaria. Consensus *præsumptus* est, quem prudenter mihi persuadeo Superiorem daturum, si rogaretur vel sciret, talem rem à me absumi, recipi vel expendi, qui tamen consensus præsertim in rebus alicujus momenti locum non habet, nisi urgeat necessitas & Superior adiri non possit; si enim præsumpta licentia semper sufficeret, Superior pro licentia nunquam esset rogandus, quod manifestè repugnat disciplinæ regulari: vel enim Superior prudenter creditur licentiam daturus, si rogaretur, & jam tum habetur licentia præsumpta, ideòque non erit opus eam rogare; vel creditur non daturus, & stultè rogatur; si tamen Superior moraliter certò sciatur non esse invitus quòad rem ipsam, eò quòd rogatus illam facile concederet, etsi aliquantulum ægrè ferat, non peti licentiam, talis usus non excedet peccatum veniale, ut cum communiori docet *Laym. l. 5. t. 5. c. 6. n. 4.* in dubio, an superior consentiat, semper est interrogandus, si possit; fatendum tamen est, Superiores magis esse invitos, si subditi sine licentia sibi usurpent res Monasterii, quàm si res aliunde datas, quia magis damnificatur Monasterium. *Nec obstat.* Quòd res aliunde religiosis oblatæ & acceptatæ Monasterio pereant, nam quamvis hoc sit, quia tamen illæ res dantur intuitu religiosorum,



& aliàs Monasterio sunt indebitæ, earum jactura tanti non fit, quanti earum, quæ Monasterio ex propria industria vel fundis obveniunt. Hinc etiam maior requiritur materia ad peccatum mortale in usu extraneorum, quàm in usu Monasterialium; cæterùm in materia paupertatis ex communi sententia loquendum est, sicut in materia furti, ideòque Regula S. Augustini dicit: proprietarios *furti iudicio esse condemnandos*; sicut autem in furto filii-familias ad mortale requiritur materia major, ut dicam *Cas. 31. n. 3.* quàm in furto extranei, quia pater respectu filii-familias est minùs invitus, sic in usurpatione vel furto Religiosi, non quòd Religiosus per omnia æquiparandus veniat filio, cui pater etiam superflua permittere potest, sed quòd respectu Religiosi major materia requiratur, quàm respectu extranei, quia Superior est minùs invitus, si Religiosus, quàm si extraneus res Monasterii auferat vel absumat.

*Si dicas* 1. Superior ob bonum disciplinæ religiosæ tenetur esse magis invitus respectu Religiosi, quàm pater respectu filii. 2. Inde oritur nimia conscientiarum laxitas. 3. Superior tenetur esse magis invitus, ut Religiosus peccet, cùm ejus peccatum ex officio teneatur impedire & corrigere, quàm si extraneus. Ad 1. *num.* 1. Concedi posse totum. *num.* 2. Id verum esse, si nimia conscientiarum laxitas & disciplinæ aliter non conservabilis necessitas id exigat; id autem non tenet regulariter. *Ad 2.* Ex opposito oritur nimia conscientiarum restrictio, & pariter dicam, conscientiam filii nimium relaxari, si sciat patrem respectu suò esse minùs invitum, item peccatum filii magis debet displicere

eere



cere magis que corrigi & impediri à patre, quàm peccatum extranei, ergo pater magis tenebitur eſſe invitus in furto reſpectu filii, quàm extranei, per conſequens minor materia requiratur ad grave furtum filii, quàm alterius, quod nemo admittit; dico ergo, Superiorem & patrem debere eſſe magis invitos quòdàd modum & rationem peccati, quod à ſuis fit, & ab iſtis corrigi debet, non autem quòdàd rem ipſam. Ex dictis.

*Deduces ſeqq.* 1. Religioſus complacens ſibi 7. in divitiis prioris vitæ, aut dolens, ſe eas reliquiſſe abſque affectu vel deſiderio aliquid habendi vel uſurpandi independenter à voluntate Superiorum, non peccat propriè contra votum paupertatis, ſicut non peccat contra votum caſtſtatis, qui dolet, ſe caſtſtatem voviſſe; ejuſmodi tamen affectus multùm adverſatur perfectioni religioſæ, & ad minimùm eſt veniale otioſitatis vel ſenſualitatis.

2. Licentia dolo, putà, falſum allegando vel 8. verum reticendo, obtenta, eſt invalida; neque à peccato proprietatis excuſat Superioris tolerantia vel conſuetudo, quam Superior difficulter v. g. ſine pacis turbatione, querela & murmure tollere non poteſt, tunc enim Superior non conſentit, ſed purè permittit. Licentia metu vel importunis precibus extorta eſt quidem valida, utpote ſimpliciter voluntaria, attamen eſt contra perfectionem obedientiæ, quia non tam ſubjicit ſubditi voluntatem Superiori, quàm voluntatem Superioris ſubdito. Superior dans licentiam in genere, intelligitur eam dare tantùm ad uſus licitos, non ſuperfluos, ſi tamen uſus in ſe non ſit ſuperfluus, eſſi ex circum-



cumstantia fiat illicitus, non repugnat pauper-  
rati, ut si religiosus ex pecuniis ad honestam  
recreationem concessis cum sociis biberet ad  
ebrietatem, vel cum scandalo in taberna publi-  
ca, quia talis magis peccat quoad modum, quam  
quoad rei substantiam. *Laym. n. 14.*

9. 3. Si Superior antecedens dedit licentiam,  
valet, etiamsi ab officio discesserit: item valet  
licentia data à Prælato inferiore contra prohibi-  
tionem Superioris vel statutorum ordinis, nisi  
addita sit clausula irritans, quia Prælato infe-  
riori per hoc non est sublata potestas ordinaria,  
& multa sunt prohibita, quæ tamen sunt valida.  
*La Croix l. 4. n. 115.*

4. Religiosus sine licentia aliquid exponens  
non tantum peccat contra paupertatem, sed te-  
netur ipsam rem repetere, si in se, vel in æqui-  
valenti adhuc existat, quia res mansit sub do-  
minio Monasterii.

10. 5. Si religiosus sine licentia donet amico pi-  
cturam à se factam, vel donet librum pretiosum  
v. g. choralem à se conscriptum; peccat con-  
tra paupertatem, quia licet religiosus sit Domi-  
nus proprii laboris & artis, tamen illud, quod  
labore & arte acquirit, cedit Monasterio, nisi  
amicus subministraverit materiam, & ipse no-  
mine amici operatus fuerit, tunc enim, quam-  
vis peccare possit contra obedientiam, si nem-  
pe id faciat contra prohibitionem Superioris,  
non tamen contra paupertatem: idem est de do-  
natione reliquiarum, precum, Missarum re-  
missione, vel resignatione beneficii, &c. quo-  
rum religiosus quidem est Dominus, attamen  
inobedienciæ crimen admittit, si de iis contra  
voluntatem Superiorum disponat: conceptus,  
nota-



notationes, compositiones proprio studio in chartam coniecta tanquam partus proprii laboris & pars, vel potius imago conceptus interni probabiliter reputantur inter spiritualia, vel saltem Superiores quoad hæc non solent esse multum inviti.

6. Contra paupertatem peccat, qui res undecunque acceptas abscondit, occultat, ne Superior sciat, auferat, aut de iis pro libitu disponat, imò, etiamsi rem cum licentia acceptam abscondat, ne Superior eam mutatâ mente tollat, est communis cum *Sporer t. 5. c. 1. num. 64.*

6. Si Religiosus sine licentia plura modica recipiat vel expendat usque ad materiam gravem, probabilius peccat mortaliter, quia hæc uniuntur in ratione gravis damni, sicut plura parva furta. *Pelliz, t. 4. c. 2. n. 35.* Ubi excipit modica esculenta, eò quòd in his Superiores non videantur esse inviti quoad substantiam, sed purè quoad modum, at, si hæc accrescant in grave damnum rei domesticæ vel regularis disciplinæ, etiam in his Superiores probabilius censeri debent inviti quoad substantiam, maximè, si sint minus benigni, parci, tenaces.

8. Peccant, qui res ad certum usum concessas ad alium usum convertunt, ut si pecunias pro emendis libris vel vestibus datas ludendo vel potando absument, item si libros, vestes & similia sibi concessa aliis concedant, etiam ad nudum usum, vel permutent aut accommodent; hic tamen à mortali plerumque excusat materiæ parvitas, nisi materia permutata foret pretiosa, rara vel conjuncta cum damno Monasterii, tunc enim esset mortale, quia permuta-



mutatio (idem est de mutuo) transfert rei dominium.

14. 9. Si rem ab amico præsentatam, nec tibi, nec Monasterio acceptes, sed intendas eam nomine dantis donare pauperi vel alteri amico, cui donans iusserit, vel tu donare volueris, aut etiam tibi ipsi applicare, sed, petita prius licentiâ, non peccas contra paupertatem. *Sanch. Lug. d. 2. n. 54.* Ratio est: quia alteri tantum locus laborum tuum absque hoc, quod ullam rei commoditatem independentem à voluntate Superiorum desideres.

10. Si amicus tuus à Paulo accepit stipendium, ut legi faciat Missam, potes Missam legere & stipendium non acceptare, sed remittere, & amicus tuus illud retinere; ratio est: quia non teneris acceptare, sed potes Missam legere gratis, & amicus satisfecit intentioni petentis procurando Missam, ergo potest retinere stipendium illum in finem datum; idem est, si, lectâ Missâ, ipse suscipias stipendium non animo tibi vel Monasterio acquirendi, sed nomine offerentis illud expendendi in pauperes vel amicos, et si offerens hoc nesciat; quia, postquam legendo Missam satisfecisti ejus intentioni, certò de ejus consensu præsumere potes.

15. 11. Si rem tibi præsentatam non acceptes, sed deponi facias apud amicum, ut, datâ opportunitate, cum licentia Prælati eâ utaris, non es proprietarius, nec peccas, et si id facias ideò, quia pro nunc & ab hoc Superiore non confidis te accepturum veniam, quam speras accipere ex post vel ab alio; ratio est, quia neque vis habere dominium, neque usum rei à Superiore independentem, hæc tamen arguunt imperfectio-



fectionem, & animum non satis resignatum.

12. Quamvis ex communissima Religiosus finè omni licentia comedens & bibens apud externos peccet contra paupertatem, raro tamen per hoc peccat mortaliter, quia hæc materia vel censetur levis, vel Superiores quoad rem ipsam non sunt multum invitati, cum nullum damnum inferatur Monasterio.

13. Certum est Superiorem Religioso non posse peculium vel quamcunque rem concedere irrevocabiliter, hoc enim repugnat voto substantiali paupertatis; ideoque professio facta sub conditione, ut liceat habere proprium vel alicujus rei dispositionem à Superiore independentem, est ipso jure nulla, *c. Monachi, c. cum ad Monasterium de statu Monach.* potest tamen Prælati concedere peculium, si per peculium intelligatur res apud Superiorem deposita, vel portio quædam pecuniaria Religioso ad iter, studia, negotia vel similem honestum usum assignata, item potest Religioso imponi administratio villarum, prædiorum aliorumve bonorum immobilium, non suo, sed Monasterii nomine, revocabiliter, & sub obligatione reddendæ rationis, nisi id speciali Ordinis statuto prohibeatur; imò jure antiquo poterant etiam concedi bona stabilia ad usumfructum vel usum, item pensiones & redditus annui ex bonis Monasterii vel parentum, quibus Religiosi dependenter à voluntate Superiorum in-vel extrà Monasterium sustentarentur, id tamen jure novo videtur correctum per *Trid. Sess. 25, c. 2. Fagn. in c. 2. de statu Monach. Hyacinth. Donat. L. 2. Reiffenst. à n. 5.* Quamvis contrariam consuetudi-

T

tudi-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. 1.



tudinem, si alicubi reperiat, non audeat damnare. *Laym. n. 13.* meritò admonens Superiores ad abrogandam ejusmodi consuetudinem, modò Religiosis aliâ viâ de necessariis provideri possit. 8. Congregatio abominans Monasteria, in quibus perfecta communitas non servatur, sæpè prohibuit, ne ampliùs Novitii vel Novitiæ ad ejusmodi Monasteria recipiantur, teste *Fagnan. n. 63.*

## CASUS XXVI.

De dominio Communitatis religiosæ, & dispositione Superiorum, Officialium & Beneficiatorum.

**F**Abius Religiosus interrogatur, 1. Cui acquirat Religiosus, Apostata, transiens ad aliam religionem aut invalidè professus? 2. Religiosus promotus in Episcopum vel Parochum. 3. An Monasterium succedat in omnia bona professi, etiam emphyteutica, feudalia. 4. An hereditas Religioso relicta à Monasterio adiri possit ipso invito, vel à Religioso repudiari, & quid, si eâ conditione sit relicta, ut non ad Monasterium, sed Religiosum pertineat. 5. Qualiter bona Monasterii valeant alienari. 6. An Prælati repudiare possit hereditatem vel legatum. 7. Quid circa contractus vel negligentias Officialium? Pro resol.

II. QUÆR. I. Cui Religiosus acquirat?

*Re. 1. modò.* Cùm Religiosus sit incapax omnis domini, quidquid acquirat, regulariter acquirat.

rit.